

Q. R. 412, 12

X1860574

II b
149

GRIPHUS RABBINICO-PHILOLOGICUS

De

SCHEM HAM- MEPHORASCH,

Quem

Juvante DEO

IN ALMA CIS ALBIM

Ad d. XXX. Maj. A. R. S. MDC LXXXV.

PRÆSIDE

M. JOH. PASCHIO

Raceburgensi Saxone

Publice proponit & solvit

CHRISTIANUS SCHNELLIUS

Pyritzio-Pomeranus.

Ambros. lib. 8. in Lucam c. 18. T. V. pag. 728. D.

Populus Judæorum dives est in lege, egenus in fide, præruptus in furore, probrosus in crimine.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



174

CHRISTIANUS MATTHEUS SCHWELLIUS

SCHEMATA
METHODORUM

ARTIS

M. JOH. PASCALIO

CHRISTIANUS SCHWELLIUS

CHRISTIANUS SCHWELLIUS





ישוע האב ורוח הקדש
כלי מכואורתי

*CAP. I. Schem hammephorasch ex Judeorum opinione
dinumerat & improbat.*

I. Quoad Ortum & progressum mythologicum.

§. I.

REperiuntur ex Rabbiorum Synagogâ non pau-
ci, qui Mosén Proto-Notarium Dei ut *Tora*, *Misna* & *Kabbale*, ita
& *Schem hammephorasch* primum fuisse Interpretem augurantur,
quasi ab ipso Deo vel *Angelo Sarael* in monte Sinai, ubi per XL.
naturales dies commoratus dicitur (a), hanc nominis insolentiam edoctus
fuerit (b). Sed elumbis hæc est narratio, quam *Moses* nescit & reticet, cir-
cumstantiæ illius moræ & jejunii repudiant, quamque nulla suspitionis species
incrustare satagit.

§. 2. Nonnulli (c) referunt, quod *Angeli* ob scelera commissa è cælo
detrusi *Schem hammephorasch* secum (ut *Prometheus* ἀγκυλομήτης (d) ignem) ab-
stulerint, idque postea Homines docuerint. Sed hoc commentum seipsum
confutat, quia *Diabolus* in malo confirmatus Homines de Deo sincerè infor-
mare nec voluit, nec debuit.

§. 3. Alii autamant, quod, cum Deus יהוה sive pectorale *Aaronis* jus-
serit fieri כפוי, h. e. διαλῆν, illud intelligendum sit de שפרוהם, quod
inter pectoralis partes abditum fuerit, verbaque inscripta illustraverit atque
perfecerit, sicuti *R. Salomon* (e) scribit: Ille sc. *Moses* scripsit *Schem hammepho-
rasch*, & posuit illud in medio in duplicato pectorali. Huc referri potest Illorum
Cabbalistarum (f) opinio, qui *Nomen Dei* τετραγράμματον duobus modistrans-
positum, & ab interiori parte XII. gemmis pectoralis per XII. Nomina (g) in-
scriptum fuisse existimant, ita ut in speculo lucente mysterium XLII, in spe-
culo non lucente mysterium LXXII. literarum juxta *Kabbalisticū* positum ap-

A 2

pa-

(a) *Exod. XXIV, 18. c. XXXIV, 28.* (b) *Vid. R. Chiskia, Autor libri Chaskuni in Collect. Margin. ad cap. 3. Exod. Conf CL. Leusdenium in Phil. Ebr. Diss. XXVI. p. 280. seq.* (c) *In Succa f. 53. Jalcuth f. 304.* (d) *V. Hesiodum in ἐργ. καὶ ἡμέε vers. 48. seqq.* (e) *Raschi ad Exod. XXIX, 30.* (f) *de quo- rum sententia vid. lib. Zohar in Exod. Abr. Seba Hispan.* (g) *(Conf. XII. ista No- mina apud Buxtorffium ex Abarbanele. Th. Bangium ex quadam moneta in Cælo Orientis Exercit. 2. p. 195.*



paruerit, eoq; sic hujus S H S. virtute, quando Sacerdos Summus per *Urim & Thummim* Deum interrogabat, lapides insolitum fulgorem emiserint, & animum Sacerdotis illuminaverint (h). Nobis autem hoc credere detrectantibus irasci non possunt *Judai*, siquidem Ipsorum Cordatiores Scripturâ tacente hæsitant; Sic enim in *Michlat Jophi*, (quem R. *Jacob Fidanque* currente hoc anno correctius emisit Hamb.) *Commentatoris* verba versa sonant: *Sunt, qui Urim à lucendo derivant. Sed nobis non liquet, quid Urim & Thummim fuerint; Textus sanè videtur innuere fuisse aliud quid, quàm pectoralis lapides. R. Salomon ait fuisse Schem hamphorasch, quod inter pectoralis partes abditum fuerit, & per illud verba fuisse illustrata & perfecta: וְלֹא נֹרַע הַמִּכְרֹס i. e. Sed non constat, utrum seres ita habuerit. Nil autem aliud pectoralis duplicatio fuit, quàm valvularum ac lamellarum תְּשֻׁבֵּת Choschen geminarum compositio, quarum superior duodecim foraminibus ceu palis æquali à se invicem intervallo distitis affabrè inocellata gemmas totidem recipiebat; inferior plana & nullis foraminibus pertusa easdem bases instar excipiebat; quas ipse *Raschi* גִּמְרוֹר sive foveas seu fundas recipiendis lapidibus aptas appellat; *Josephus* (i) ἑλιμας, πηλίδες &c. (k) Hæc autem nihil ad fictitium *Schem hamphorasch*, quod sane totum hoc Divinæ Revelationis oraculum subverteret, quasi à jubare תְּשֻׁבֵּת *Schem hamphorasch* coruscasset. Et quæ Nomen יהוה תְּשֻׁבֵּת Choschen inscribendum fuisset, quod *Frontali Aureo* S. Pontificis jam incisum erat?*

§. 4. Nec desunt, qui per famosum illud *Schem hamphorasch* sub audiunt nudum Dei Nomen, idque *essentiale proprium* καὶ ἐξοχὴν τετραγώνματον יהוה, quod benedictionis Ecclesiasticæ loco ter repeti suoque populo imponi iussit Deus, Num. VI, 26. 27. Unde R. *Moses Ben Maimon* (l) colligit, quia *Nomen Dei* isthic secundum propriam ejus Scripturam ter repetitur, esse id propter ipsum שֵׁם הַמְּפֹרֶשׁ. Similiter in libro סֵפֶר (m) ad Num. VI. cap. legimus: *Sic benedicetis Filiis Israel*; ubi *Sic* notat: *in lingua ista*; Sic i. e. cum *Schem hamphorasch*. Eodem respicit R. *Bechai*, (n) nec non R. *Salomon*, (o) quando hic scribit: וְבִרְכִים שֵׁם הַמְּפֹרֶשׁ. Sed verò nulla in Textu authentico injicitur mentio superstitiosi istius שֵׁם הַמְּפֹרֶשׁ; nec quisquam probabit Deum id intendisse, ut subintelligatur; sensus ergo hic textui potius est violenter illatus, quàm literaliter innatus; Neq; *Benedictio Divina* obtigit populo propter vim practicam Nominis, quàm infra explodemus; sed ob gratiam Dei ad hoc symbolicum Nominis signum conferendam.

§. 5. Deinde quidam *Judai* accessunt Insolentissimi hujus *Monstri* Natales

(b) Conf. *Rivet* ad *Exod.* c. 28, 4. ex *Fagio*. (i) lib. III. *Agg.* c. 8. (k) Conf. *Excell. Dn. Fr. schm. de Pontific. Ebraeor. Vestitu* S. c. III. tb. II. (l) lib. *Morre Nevochim* c. 62. - part. 1. (m) *Super dict. Num. VI.* (n) in *Comment. in Legem ad illud כה תברכו Num. VI, 23.* (o) ad *Num. VI, 27.*

les ab hexaemero primo; quasi id in illa Judææ terra (*Morijâ* scil.) occu-
 luerit manus Creatoris, ubi *primus homo* creatus & commisso peccato com-
 moratus fuit (p), *Abel* initio sacrificavit, *Noah* altare suum exstruxit, *Isaa-*
cus ligatus & in holocaustum oblatus fuit (q). Ubi postea *David* arcem exa-
 dicavit, & aream ab *Arauno Jebusitarum* Regulo coemptam *Fil. Salomoni* reli-
 quit ad Basilicam erigendam; (r) Ubi *Salvator* ipse mortem oppetiit; *Mo-*
rijab enim plures unius ejusdemque montani tractus complectitur colles, qui
 deinceps vocabantur *Sion*, ubi *Davidis* civitas; *Morijab* in specie, ubi sedes
 templi *Salomonæi*; *Locus Calvaria seu Golgatha*, ubi *Christus* suspensus fuit, (s)
 De monte *Morijab* speciatim sic dicto comminiscuntur *Rabb.*, quod in ejus medi-
 ullio latuerit *SHS.* cum speciosa quadam Scriptura, unde id protraxit *David*
 fundamentum Templi jaciendum curaturus. (t) Sed, cum hoc Dei oracu-
 lum non nisi piis, justis, probisque Judæis intellectum fuerit, factum est, ut de-
 ficiente Hominum sanctitate in Sanctissimo Hierosol. Templi corde citra ja-
 cturæ periculum asservaretur; Cum verò *Helena* regnum Judaicum posside-
 ret, accessit *Jesu Hanozri* (quem ab Inscriptione Pilati (u) sic contumelio-
 se nominant, quasi patronymicum sit ab educationis suæ urbe Nazareth, cum
 tamen mysticè potius respiciendum sit non tam ad *נצרי* Num. VI. quia *Chri-*
sto non omnia *Nasiræatus* vel *destinati* vel *voluntarii* prædicata competunt (x),
 quam ad *נצר* surculum, quo *Christus* in Scriptura passim (vv) insignitur)
 Hierosolymam, ibique in templo offendit lapidem, cui olim *arca fæderis* im-
 posita, nunc *Schem hamphorasch* inscriptum erat, & quamvis à Sapien-
 tibus cau-
 tum satis fuerat, ne quis Judæorum intraret, & hoc miraculosum nomen addi-
 sceret, duos enim ex ære factos canes (al. Leones) duabus columnis imposi-
 tos foribus sanctuarii præfixerant, qui latratu (rugitû) suo exeuntis memo-
 riam perturbarent, ut attonitus oblivisceretur Nominis & literarum; *Ha-*
nozri tamen introiit, & pro sua, quæ fuit, versutia nomen & literas edoctus
 inscripsit eadem palimpsesto, quem cute cruris discissâ carni suæ inseruit, &
 vulnere sine dolore per *SHS.* sanato exiit, nec latratus canum ita arculæ furarû,
 ut memoriæ nocere *potuit*. Domum itaque reversus aperuit cicatricem cul-
 tro, schedulâque exemptâ surreptum *Schem hamphorasch* denuò memoriæ man-
 davit. (y) Apud *Talmudicos* hujus fabulæ semina hunc in modum spargi scri-
 bit

A 3

(p) Sicuti legitur in *Breschit Rabba* in *Pasuk* *נצרי* Nec nõ in tract. *Talm. Hierosol.*
נצרי cap. 23. (q) *Conf. R. Abarbenel Comment. in Pentateuch.* (r) *11. Paralip. III,*
i. (s) *Conf. Vitalpandum, Genebrard, Bochartum in Descript. T. S.* (t) Sic
 fabulantur in *Talmud. Sebatscheleib* f. 6. (u) *Matth. 27, 27. Luc. 23, 38. Job. 19, 19.*
 (w) *Es. IX, i. Jer. XXIII, 5. c. XXXIII, 15. Zach. III, 8. c. VI, 12.* (x) *V. B.*
Varenium ad caput XI. Isaian. p. 567. seq. Adde Christ. Bœmann. in OO. L. L. p.
m. 1188. (y) V. B. Lutherum Tom. Jen. VIII. fol. 109. c. b. Vel si mavis Tom. VIII.
Altenburg. p. 278. c. a. ex Porchett Part. i. c. 9.

bit Buxtorffius (z): Nonne Filius Satda exportavit magias ex Ægypto per casu-
 ras, quas fecerat in carne sua. Satda autem hæc (quasi נר טטא declinavit ista,
 sc. ad scortationes, i. e. scortata est) dicitur fuisse: מריא מגרלא נשיא Ma-
 ria, ornatrix mulierum, plicatrix capillorum muliebrum, quales sponsæ habe-
 resolent. In Sanhedrin (aa) expresse dicitur hæc Maria vixisse in Templo
 secundo, & fuisse מלך של פלני Mater r̄s d̄ivæ (Christi, cujus nomen hoc in-
 dividuo vago circumloquuntur). Lepida sanè fabula, quam Rabbinis caro &
 sanguis non suppeditavit, sed ὁ πατήρ r̄s ψεύδης (bb), quot enim verba, tot
 commenta; Unde enim Helena, quæ 300. fermè annis ante dominari, quam
 vivere cœpit? Unde canes ænei, qui extimescend o suo latratu potuerunt Ho-
 mini memoriam tenacissimam eripere? Unde Christus Sacrilegus? & Magus
 ex Ægypto? &c. Quod, quicumque volet, credat Judæus apella! Vide tamen,
 quomodo Salvator Ipse se excuset passim. (cc)

§ 6. Denique B. Thaumasiander Lutherus, (dd) qualem nulla ferent se-
 cla futura Virum, hunc fallacem verborum gannitum pari præstigio refutat,
 quod Ipsi subministravit foeda illa icon hieroglyphica Suis, quam lapidi juxta
 altare forinsecus incisam exhibet Templum parochiale Wittebergense ab illo la-
 tere, quo austrum respicit; nec non Servestana Reformatorum ad D. Nicolai a-
 des ab illa parte, qua Septentrionem sentit; Utrobique porcelli & Judæi lactent
 lactantem suam, Rabbinus verò, qui post carectia jacet, pedem Suis dextrum di-
 varicaturus caudam lævâ attollit, & porcæ Talmud lynceis oculis inspicit, qua-
 si alcor in cœlo aut ventum ventris observaturus. Hunc verò Lapidem Rabbi-
 nico-suillum Templi muro sublimi fortè intrudendum curavit Ædilis quidam
 doctus atque ingenuus, qui Judaicorum figmentorum pertæsus Iphis hoc ocu-
 liferium sudes in oculis esse voluit, ut Istos Rabbinicæ & Cabbalisticæ suæ
 mataeologiæ admoneret, quâ sublimia & difficilia sine re & ratione jactant.
 Nam Judæos olim quoque Porcinam statuam coluisse Petronius hoc vers. inti-
 mat: Judæus licet & porcinum Numen adoret; Quos tamen Jac. Gafarellus
 in Curios. inaud. part. 1. p. 16. excusat. Hæc proinde activâ quasi chriâ &
 reali hoc confutandi genere ex Judæo quæsit Structor: Unde hæc Miracula
 de Schem hamphorasch habes Apella? respondet imago: E Suis culo (B. Luthe-
 rus: der Sau im (grob heraus) Hindern) sicut aliàs de rebus ex angustia
 petitis παρομοιαζεις Lucianus (cc) Εκ κυνός, ποδός i. e. & canis podice. Ele-
 gans demonstrandi principium illis Doctoribus dignum! Quondam
 verò plurimos heic loci negotiatos fuisse Judæos testantur non quidem allego-
 ri-

(z) Lex Ebr. ירויה p. m. 161. ex Schabbath. fol. 104. z. (aa) fol. 67. 1. Edit. Ve-
 net. (bb) Job. VIII, 44. (cc) Luc. XI, 19. 20. Job. II, 46. (dd) l. c. Tom.
 Jen. fol. 116. col. a. Tom. Altenb. p. 285. col. b. (ee) V. Erasmi Roterod. Ada-
 gia Discriminis p. m. 143.

rica illa Locorum Nomina Ebraica, quibus *Witteberga* dici posset *Mons Sion*, *Seyde Sidon*, *Dabrun Hebron*, *Domnitzsch Damascum*, *Prata Ephrata*, *Jessen Jesse*, *Zana Berlebem* (Brodthaus) & id genus alia; Ea enim non *as-*
severationis, sed *collationis* causa facta sunt, ut lumen Evangelii ex Witteber-
 gensi Ecclesia prolatum conferatur eum luce coelestis doctrinae, quae ab Hiero-
 solymis in universum terrarum orbem diffusa est; (fff) Sed post alia non ul-
 timum Judaicae domesticitatis vestigium dat *platea partis Septentrionalis Wite-*
bergensis aliqua, quae appellatur *Juden Gasse* / vel quod ibi pernoctaverint, vel
 habitaverint, vel mercimonia tractaverint artemque suam agitaverint olim *Vep-*
pa; Imò ipse *B. Lutherus* adhuc sua aetate multos Cives & Rusticos Ebraeos heic
 loci vidit & convertit. His verò aliisque praeputiatis reali hoc monito quasi
 acclamare voluit Auctor calaturae ex *Catullo*: *Quid Tibi quæso alibi spectaculi*
queris? Hic specta culum, si lubet, ipse dabo.

II. *Quoad Statum & Schem hammephorasch Cabbalisticum.*

§. 1. קְבֵלָה *Judaica* acceptio est, quam per קְבֵלָה sive traditionem ac-
 ceperant, idque derivatum tradunt à קָבַל i. e. accepit, manu animove; Ali-
 am verò faciunt *Cabbalam* אֲנֻכְמַתִּיחַ, quam *Moses* ex ore Dei in monte *Sinai*
 didicit, & cana antiquitas postea tanquam *Legis* ambigua, obscura & interdum
 contraria explicanda clavem in *Talmud*. retulit (gg); aliam אֲנֻכְמַתִּיחַ, quam
Ebraei saniores antiqui, & superstitioniores novi quoad abstrusorem & mysticam do-
 ctrinam ex *Mosis* & *Prophetarum* scriptis conquisiverunt (hh). Hanc autem
 communiter faciunt triplicem: (1) גִּמְטְרִיָּה, quando dictio pro dictione ponitur,
 estque mathematica vel literarum vel textuum *Scripturae* numeratio aut dimensio.
 (2.) נוֹטְרִיקוֹן, quando litera l. litera pro dictione integra scribuntur, idque bifa-
 riam, vel per *Rasche* thebhot, vel per *Sophe* theboth. (3) אֲתוּמָה, quando
 litera pro litera ponitur, idque denuo nunc per simplicem literarum transpositio-
 nem, nunc per alphabetariam earundem revolutionem, postquam se. elementa
 vel ordine recto (hinc *Albam*) vel retrogrado (hinc *Athbas*) sibi in duabus lineis
 subordinata fuerint; ut inde nova vox novusque sensus emergat (ii).

§. 2., *Nostrum Exemplum*, quod *Schem hammephorasch* est, huic *Regulae* ac-
 commodandum nulli generi substat soli, sed de omnibus aliquid communicatum ha-
 bet, mox enim numerantur literae, mox capita tanguntur, mox transponuntur &
 per-

(ff) *Conf. Matth. Dresserus Part. V. Isag. Histor. de praecip. Urb. Germ. p. 602.*
B. Meisnerus, Jubil. Witteb. p. 133. & seqq. (gg) Vid. P. Galatinum lib. 1. de A.
C. V. c. 2. & lib. 4. c. 4. P. Crinitium L. 25. de honesta discipl. c. 5. (bb) Conf.
Reuchlinum Tr. de Art. Cabbal. l. III. p. 64. (ii) V. B. Salom. Glasium in Phi-
lol. S. Lib. II. part. 1. Tract. II. Sect. III. p. Edit. nov. 303. seqq. Adde Venerabilem
Hujus Academiae Seniore[m] mox octogenarium Dn. Andr. Sennertum in Exercit. Phi-
lol. Heptad, II. Exerc. III.

permittantur, & quod monstri esse solet, habet. Ad quatuor tamen methodos re-
 duci possunt Kabbalistica de Schem hamphorasch Expositiones, quarum prima XII.
 literarum esse deprehenditur, & vocatur R. Menachem: שֵׁם הַמְּפֹרֶשׁ יוֹ אֲוֵתִי.
 Hujus Explicationis numerum arbitratur R. Bechai & R. Nagid. oriri ex ter re-
 petito Nomine יהוה, quibus consentit Valent. Schindlerus, (kk) quasi be-
 nedictio Sacerdotalis Numer. VI, 24, 25. 26. precepta salem computum prescrip-
 set, cum ex Maimonide certum sit nomen יהוה appellatum fuisse SHS, quando scribit
 (ll): Pronuntiat nomen טετραγεμματος secundum scripturam ejus (in sanctuario sc.
 ex §. 5.) atq; hoc est illud nomen, quod effertur per Jod, He, Vau, He, & Schem
 hammephorasch dicitur. De hoc Numero si testimonia Talmudica poscis? ecce Tibi
 Massechet Kidduschin (mm): Tradiderunt Magistri nostri, quod initio no-
 men Filii XII. literarum tradiderint cuilibet Homini; sed ex quo multiplicati
 sunt profani homines (qui utebantur eo ad magicas artes atque prestigias) tradi-
 derunt illud modestioribus ex Sacerdotali ordine (ut benedicerent populo per
 illud in sanctuario), & hi absorbebant illud (precipitantes demurmurabant) in-
 ter modulationem Fratrum suorum (ut audiri a plebe non potuerit propter vo-
 cem modulationis Collegarum). Idem est, quod Maimonides (nn) de Nomine XII. li-
 terarum sanctitate Nominis τετραγεμματος inferiore testatur, Ipsi que videtur id
 non fuisse Nomen unum, sed potius duo vel tria, quorum litera in universum
 fuerint XII. Quorsum collimat iudicium R. Haccadosch, qui Nomen XII. literarum
 non pro vero Nomine habet, sed tria verba diversa continere autumat, quæ
 unum ostendunt ad innuendum, quod III. Personæ Divinæ per III. illa Nomi-
 na expressæ sint unum quoad Naturam s. essentiam, i. e. unus Deus. Quale ve-
 rò hoc nomen fuerit, præcisè non liquet; P. Galatinus (oo) suppeditat tale:
 אב בן ורוח הקודש, quod XII. exhibet literas & significat: Pater, Filius &
 Spiritus Sanctus. Sed cum auctoritate classica destituatur, audimus libentius Dn.
 D. Joh. Saubertum, (pp) qui ex formula anathematis Judaici, quam Buxtorffi-
 us ipsi exhibuit, hanc nobis particulam subministrat: Sit anathematizatus ex ore
 שבעים שמותין & ex ore הבהביב, qui est וי ille magnus; & ex ore צבצביב
 (LXX. Nominum) Regis Maximi; & ex ore צורטק Cancellarii magni.
 Ubi nomen TZAFTZAFIE & HAFHAFIE est dubio procul nomen illud XII. litera-
 rum, quod ex seqq. elucescit; sed cuius ortus atque significatus sit, id non constat.

§. 4. Secunda Kabbala facta fuisse putatur per XV. literas, quarum
 originem arcescit R. Jacob à Nomine Majestatico Dei יהוה, cui deinceps anne-
 xuit XI. literas, quæ Deus seipsum Moysi ad Israelitas mittendo descripsit:

איהוה

(kk) in Lexico Pentagl. p. 1491. (ll) in lib. Jad, halacha de precatone & bene-
 dict. Sacerdot. c. 14. §. 10. Conf. Eundem in More part. 1. c. 62. fol. 44. (mm) c.
 IV. fol. 71. (nn) Part. 1. More c. 61. Conf. Sixt. Amam. Anti Barb. Bibl. Diss. de
 Nom. יהוה p. m. 314. seqq. (oo) l. c. c. IX. (pp) in Palestrea Theo. Phil. p. 64.

אהיה i.e. Ero, qui ero. (qq) Et quamvis hoc Nomen Dei אהיה
videatur B. Walthero (rr) & Val. Schindlero (ss) cum Nomine יהוה ratio-
ne radicis & significationis coincidere, hac tamen differentia (1) vera nobis inter-
esse videtur, quod illud Nomen sit primæ personæ, quia Deus de seipso illud effert;
hoc verò tertiæ personæ, quia homines de Deo illud enuntiant; (2) apparens est,
quam Rabbiorum distincta Kabbala innuit. Deinde Lud. Capellus (tt) in-
cassum negat אהיה esse Nomen Dei essentielle proprium, nam (1) Deus sibi ipsi
illud ut proprium tribuit. (2) Interpp. hoc sensu retinuerunt. (3) Vocis signi-
ficatus & S. S. illud ut essentielle venditant.

S. 5. Tertia Kabbala erat XLII. litterarum, quam Ebraei nuntiant שם
מב אהיה. Hanc nonnulli cum R. Chisk. enasci statuunt ex verbo אהיה du-
plicato, quod in producto relinquit XLII. Alii cum R. Bechai (uu) illam desum-
ptam fuisse autumant ex 1. & 2. vers. Gen. c. 1. à ב vocis בראשית usque ad ב vo-
cabuli ובהו, quæ inclusive producunt 42. litteras, ex quarum variâ combinatione
Kabbalisticis perspecta factum fuisse nomen 42. litterarum somniant. Alii cum R. Na-
gid & P. Galatino (vv) ex hoc XLII. litterarum ordine hanc cabbalam ordinant:
אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחר בשלשה;
Quod ita vertitur: Pater est Deus, Filius est Deus, Sp. S. Deus, tres in uno,
unus in tribus. Alii idem dispari modo, sed eodem numero sic effecerunt: אב אל
בן אל ורוח הקדש אל אכל לא שלשה אלהים כי אם אלה אחד
Inde est, quod P. Galatinus opinetur S. Athanasium in suo Symbolo bis respexisse
ad hujus Schem hammephorasch cabbalam, cum aliquosies inibi repetat Patrem,
Filium, & Sp. S. atque post pauca addat: Et tamen non III. Dii, sed unus est
Deus, quæ inde transumpta fuisse conjicit. Sed Scripturâ has formulas suppedi-
tante quid Kabbala Rabbinica opus est? Nec Galatino Judeos vi & mendaciis
conversuro crediderim omnia ista Nomina (ex libro fortassis ὁμοῦσολογία, quem
רוח גלי revelatorem arcanorum appellat, compilata) apud Rabbinos ἀξι-
πίστως ita reperiri; & si in ipsis Rabbiorum scriptis exposita invenirentur, mul-
tum ad religionem nostram ex Judæis adversus Judæos confirmandam efficerent (xx).

S. 6. Quarta Cabbalisticæ artis methodus est intricatissima & insolentis-
sima, quam per LXXII. litteras (quamvis Chald. Par. Cant. 3. tantum numeret
LXX.) (yy) fieri perhibent, nominantque שם אהיה עב. Dantur verò Rabi-
norum nonnulli, qui hunc numerum enasci putant ex nomine יהוה hoc modo:

(qq) Conf. B. D. Hier. in Kromayer in Polymath. Theol. Orat. de Nom יהוה pag.
206. (rr) Spicil. contr. 3. (ss) Lexic. p. 429. (tt) de Nom. Dei p. 58. (uu)
in princip. Gen. fol. 5. col. 2. (ww) L. II de A. C. V. c. XII. (xx) Conf. Sixt.
Amamal. c. p. m. 319. CL. Dn. Leusdenium Diff. XXVII. Phil. Ebr. pag. m. 291.
(yy) V. Sixt. Amam. in Anti-Barbaro Bibl. Diff. de Nom. Tetragr. p. 314.

Numeri Jod. quater, & habebis 40; He ter, & erunt 15; Vau bis, & dabuntur 12; He semel, & produces 5; hec producta partialia adde, & fiet totale 72. Sunt deinceps Alii, qui calculum hunc magnum subducunt ex literis initialibus, quas suppeditat oraculum Exod. XV, 11. כִּמְכָה בְּאַרְהוּם יְהוָה, quod Vulgata vertit: quis sicut Tu in fortibus (Diis) Domine? Ex hujus dicti capitalibus elementis componitur massa: מַכְבִּי, quae Ebraico more numerat LXXII. Omnium autem speciosissime hunc Numerum LXXII. eliciebant ex Exodi XIV, 19, 20, 21. ubi tres habentur versus, quorum singuli constant LXXII, omnes autem simul sumpti CCXVI. literis, ex quibus LXXII Dei Nomina construere docebant, quae omnia complexim faciunt שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ. Processum si aliquantis per nosse cupimus, talis est:

1. Transcribamus Textum Ebraicum; cuius non nisi capitales literas ob paginae angustiam notabimus. e. g. v. 19. incipit וַיִּסַּע v. 20. incipit cum וַיִּבֶן & desinit in הַלֵּילָה & c. vers. 21. inchoat à וַיִּט & c.

2. Transponamus ex praescriptio Rabbinorum literas, quod decies variari posse dicunt, nos saltem tres venabimur Modos: Initio assumenda est litera prima primi dati versiculi, cui connectenda est ultima medii; huic subjungenda prima terti commatis, ut fiat וַיִּט, quod valet XVII. Mox repetito has literarum uerba decies in secuturis literis, ut vicissim dextrorsum è primo versu eximas ו, sinistrorsum è secundo ו, dextrorsum è tertio ו, ut compositione facta stet וַיִּט, quod numerat L; Pro tertio Nomine excerpas è primo versiculo ordine Ebr. recto ו, è medio, ordine retrogrado ו, ex ultimo, iterum recto ordine ו, ut inde evadat וַיִּט, quod computat LXXIX, & sic in caeteris. Deinde & secundo modo pro primo Dei Nomine excercebant primam literam primi versiculi, mox primam secundi, denique primam terti, ut sic cum punctis substratis foret וַיִּט; Pro secundo Dei Nomine exscribebant secundam literam ex primo versiculo, porro secundam ex secundo, deinceps secundam ex tertio una cum suis textus conformibus punctis, ut inde esset וַיִּט. Pro tertio denique Nomine eximebant tertiam primi versus literam, tertiam secundi, tertiam terti, ut inde cum punctis pertinentibus resultaret וַיִּט. Atque ita pergebant, donec omnes eorundem versuum literae absolutae essent. (22)

3. Componamus & applicemus has trium literarum voces suo immediato subiecto, quod ex Iudaeorum placito Angeli sunt, quibus haec Nomina haecenus Arithmetica primo tribuenda veniunt; Quod si fecerimus, querendum est aliquod ex S. pandectis nomen, quod Dei ejusque operum mentionem injiciat, atque cum illo Angelico Nomine arithmetice conspiret, sic si primi modi primum Nomen, quod Angelicum est, acceperis, nempe וַיִּט (17), huic ex Divinis Nominibus in Numerica aequalitate nil magis conveniet, quam בְּיָה (17) in Domino; Et sic habebis speciem aut partem טַג Schem hamphorasch primam, cui ut superstites LXXII. species adjicias,

(22) Petr. Galatinum l. c. lib. II. c. 17.

jicias curiositatis ac sedulitatis Rabbinicae opus & labor est. Sin haec methodus non placuerit, eligere sudent aliquem e cithara Davidis psalmum, cujus aliqua 590 Q n mentionem Dei aut operum ejus injiciat, quae Nomini ex LXXII. uni respo deat; sic primum nomen יהוה, quod per Exaltatorem vertunt, ad Psalmi III. vers. 4. accommodant: Et tu Jehova clypeus es pro me, gloria mea, וְיִמְרִים & exaltans caput. Pari modo secundum יהוה, quod per auxiliatorem expriment, ad Ps. XXXIIX, 23. referunt; Festina ad auxilium meum, Domine salutis meae. Sic quoque tertium וְיִמְרִים, quod spem significare volunt, ad Ps. XIIIX, 3. revocant: Jehova Petra mea &c. sperabo in eo. Simili modo in reliquis procedendum esse precipiunt, si quis absolutum & perfectum Schem hamphorasch desiderat; Talia enim plura apud Judaeos occurrunt Nomina, quae Angelorum videntur, & tamen Divina sunt, Kabbalistarum autem texturis veluti aulæ scenico obnubilata. (aaa)

§. 7. Quod si quis Latinorum, apud quos non nisi VII. literæ numerabiles MDC LXVI. reperiuntur, hoc prestigium Cabbalisticum imitari vellet, is ex B. Lutheri (bbb) acumine talem transcribat textum:

LUCI MILX DI CU } Quasi diceret insertis pro } Luci milch die Rue
LUXLI CUM DU MI } pleniori sensu: R. a. e. } Luxle lum du zu mir
JUDI CV DI CLII. } n. r. &c. } Jude lau du die Allen.

Ex datis 2) transponat literas move à Rabbinis praescripto, & ex prima linea primam excerpit literam L, ex secunda ultimam I, ex tertia primam I, hinc componetur vox LII; sic & cum caeteris agito, ut fiat VMV. CVD. IDI. MMC. IVV. LCD. XII. DLC. IXL. CVI. VLI. Hæc vocabula hoc statu non sunt Grammatico-lectoria, sed arithmetico-Numeratoria, & primū valet 52, secundū 1010; tertium 605. &c. Sicuti autem trilatera illa è textu Mosaico Nomina numeralia erant Angelica, ita quoque hæc nostrata lia fiant, oportet, ut primus Angelus salutetur quinquaginta duo, (2) mille decem, (3) sexcenta quinque, (4) quingenta duo, (5) bis mille centum. Deniq; 3) componat hæc Angelorum Nomina arithmetica cum aliquo dicto Lectorio, quod Deum, Dei opera aut Attributa Grammaticè dicat, & tantum Numerum contineat, quantum Angeli Nomen proponit, e. g. sit LII, huic respondet: In Libro; Ibi Labor; Gottes Hebe Ists. Gott hILfft feln / Gott glbt Hell &c. Quod si verò quis alia substitueret Nomina, quae Numerum quidem complecterentur, sed Divina opera non exprimerent, e. g. NegLIgens Rabbi. (Satan glbt Hell. Hans hILfft; feln.) Verpa Manet Verpa. DoLet LaVare. IgnIs Dat. Mens MaLa Later. RabblnVs (Vs; e. g. idem putarem mox Rabbino- rum mandato adfore canes aeneos, qui hunc Criminatorum & illusorem latratu enecarent. Scilicet! Coeterum, quia Hæc Kabbalica diabolica superstitionosa, impia & anomala est, oppidò cum Magicâ arte comparatur (ccc) & rejicitur. Relicto

B 2

igi-

(aaa) Vid. omninò Dn. D. Job. Saubertus in Paestra Theolog. Philol: de Adoratione Angelorum ex Judaeorum mente p. 65. & seqq. (bb) Tom. Altenb. VIII. pag. 283. V. B. Glasium in Philol. S. Lib. II. part. 1. Tr. II. Sect. III. Edit. nov. p. 311. Conf. Kirstenium in Grammat. Arab. p. 76.

igitur hoc monstro Cabbalístico precipitamus calamum & consideramus illud Schem hamph.

III. Quoad Effectum suum mysticum.

§. 1. Denique B. L. accipe, quam crasse hæc impudentissima Rabbini oris excrementa Sceleton suum Schem hamphorasch נטעוּת מִן חֶשֶׁן הַמִּפְּוֹרִים incrustent; R. Salomon, R. Bechai mentiuntur Mosen per SHS. baculo suo inscriptum omnia suamiracula edidisse, & operatione arcanâ Virum Ægyptium occidisse; mare Rubrum divisisse, ex petra aquas produxisse; in quod consentit Auctor libri Caphrotor (ddd) h. m. Et Moses non est usus, nisi nomine isto magno, & omnia miracula sua, quæ fecit, fuerunt per Schem hamphorasch, quod est ipsum nomen יהוה & Ero, quæ ero. Nec Targum Jonathanis (ee) abnuit, in quo legitur: Sculptum & explicatum erat in ea (virga) וְיָקִירָא נִשְׁמָה דְּכַחֲנָא Nomen illud magnum & gloriosum, per quod editurus erat miracula in Ægypto, & findi debebat mare Suph, & aqua educenda ex Petra. Sic Elischa virtute hujus Nominis 42. lit. pueris conviciantibus יִקְרָא בְּשֵׁם יְיָ maledixit, ut duo urfi illorum 42. dilaniarent. (fff) R. Benjamin in suo מסעות (ggg) ait, quod David Al-roi: וְכִי הָיָה הַיּוֹם הַהוּא הָלַךְ מִהַרְלָךְ יְיָ יָמִים עַד אֶרֶץ עַם אֲרִיָּה בְּשֵׁם הַמְּפֹרָשׁ i. e. Uno die decem dierum emenso itinere incredibili Amariam venerit, idque virtute SHS. De Jesu Hanozri blasphemant, quod post cognitum SHS. sibi ex Judais associaverit CCCX Discipulos, quibus persuasit se esse Messiam, idque probaturus ope Schem hamphorasch loripedem curaverit, leprosum sanaverit, coram Helena Proceribus mortuum resuscitaverit, Galileorum siglinas aviculas avolare jusserit, molarem prægrandem stagno innatare fecerit, mox Ipse in superficie aquæ incesserit, ut hoc pacto omnis fermè populus Ipsi adhesisset, nisi Sapientum Ebraeorum πρῶτος Συµία ἡγήσασθαι hujus Nozri magiam retegisset per Judam Scharioth, quem pari arte & fortuna Schem hamphorasch clepsisse & didicisse narrant, quo facto commiserunt Hanozri & Scharioth in conspectu Helenæ, quorum Ille juxta Psal. LVII. 12. in cælum evolavit, quod emulabatur confestim Scharioth, & cum isto in aere colluclabatur, ut uterque in terram recideret, hic illaso corpore, ille fracto brachio. (hhh) quod Christianos quotannis ante Pascha suum deflere fabulantur Rabbini. Ex quo comprehenderant Israelitæ hunc (sic venia verbo) Veneficum Nozri, cumque obvelato vultu virgis caderunt, ut nominaret flagellantem, sed non valuit, quocirca Helena Istum Hanozri Ebraeorum supplicio tradidit, qui illum ligatum ad patibulum eduxerunt, sed cum universum arboretum ab Ipso per SHS. effasciatum fuisset, ut nullus ramus Eundem ferre voluerit, affixerunt illum petiolo aut suffrutici plantæ brassicæ, quæ in Palæstina tanta crescere perhibetur, ut vel 100. feminis asses ipsi appendere possint (iii). Tanta est Rabbiorum impuden-

(ddd) f. 56. (fff) ii. Reg. 11, 23. seqq. (ggg) p. m. 93. Conf. R. Akiba in libello de Oshioth. in lit. א, qui vocem Gen. 11, 4. בְּהִבְרָאֵם divisim legi: בְּהִבְרָא. i. e. in eo (sc. Nominis tetragram.) בְּרָאֵם creavit ea. (bbb) Conf. CL. Leusdenius in Philolog. Ebr. Diss. XXVII. p. m. 271. (iii) Conf. B. Lutherus l. c. p. 279. Tom. Altemb. ex Purcheti libro part. 1. cap. XL.

tia & sagacitas, quâ tot entia rationis blasphema simul accumulare non erubescunt, ac si Christus per Beelzebub operatus fuisset, cum Scharioth manus conseruisset in agone aereo, pedem confregisset, Judæi illum manu sua suspendissent, & tantum illic nascerentur petioli (Kohlstengel) ut centim pondio aequiparari queant. O quam crasse mentiris Cain!

§. 2. Sunt præterea Alii, qui usum sui Schem hamphorasch eò dirigunt, quasi iuuerit ad cognoscendum cœli terræq; Creatorem, imò quod prohi, si vellent, per illud rite cognitum potuerint novum creare mundum (kkk). Quique illud in pretio haberent, pureq; custodirent, amati fuerint à superis, desiderati ab inferis, formidati à Creaturis, & hæredes facti sint tam presentis, quam futuri seculi. Subiectum hujus abstrusæ scientiæ idoneum determinant fuisse Hominem præputiatum, verecundum, humilem, affabilem, mediæ ætatis virum, non iracundum, non ebriosum, non pervicacem (lll)

§. 3. Quod verò Judæi à tot retro lapsis seculis hujus mysterii usum perdidissent, & fructum non amplius perceperint, hoc Ipsi sic excusant, quia Majores nec sanctè vixerunt, nec modum construendi retinuerunt, nec gratiam Dei conseruarunt, nec vires Angelicorum Nominum cognitæ habuerunt. Quam in rem in Midrasch Tehillim (mmm) quaritur: Cur orationem fundunt Israelitæ in mundo isto, & nequaquam exaudiuntur? propterea nimirum, quod nesciunt nomen Hamphorasch; Futurum est autem, ut Deus sanctus & benedictus doceat eos illud, sicut dictum est Es. LII, 16. Sed reliqua scire & nescire pari discrimine refert.

CAP. II. Schem hammephorasch ex Christianorum judicio indagat & explicat.

Art. I. Quoad Ortum Onomatologicum.

§. 1. Salsa potius & arguta videtur esse illusio, quam vera originatio ista, cujus B. Lutherus (nnn) meminit, ac si שמ המפורש די שם די פריש quasi שם די פריש i. e. ibi illi (Rabbini) fraum, stercus (edunt), ut sic stabiliretur epulum illud Rabbinicum ad templum parochiale Leticoreum & Servestanum, de quo supra; Nam utut Satanas sæpe pro mystico quodam Schem hamphorasch (Virtute) Hominibus mythicum aliquod finetum (vitium) obtrudat, quod Homines joco faciunt, quando sub analogia Nemini alteri sic illudunt: Laß dein Buch im Dreck (Dreck) heraus gehen/ es wird sich schon ein Berlacher (Berleger) dazu finden. It. Vornründer sind Berminder. It. Komm zu mir zu Gast/ ich wil dich narren (nehren) It. Es sind ein paar prava (brave) Jung-fern (Jungfern) &c. tamen hoc illic non valet de Grammatica nostri Schem hamphorasch compositione, nisi remotè & allusive.

§. 2. Rectius proinde noster κατά συνλογήν terminus constare videtur (kkk) Conf. R. Elieser c. 47. (lll) Conf. Massechet Kidduschin c. IV. f. 71. p. 1. (mmm) in Ps. 9. unde id repetitur in libro Jalkut, ad Ps. 91. f. 119. col. 1. (nnn) c. Tom. Altenb. VII. p. 285.

ab una parte ex **שׁוּב**, quod descendere dicitur *Aliis* ex **שׁוּב**, i. e. *ibi*; ac si is, qui rem nominet, eam conceptui vel sensui sistat; *Aliis* à stipite hactenus Ebraeis absoluto **שׁוּב**, sed vel à Syrorum Schami, vel ab Arabum **سَوْب** restituendo, qui significat: *altus fuit, ominuit &c.* hinc **שׁוּב**, quod *Nomen* est, sigillatim *Dei*, qui per *Meton. Adj. pro subj.* non semel voluit **שׁוּב** *Nomen* vel præponi sibi, vel poni pro seipso (quod aliàs in Humanis insolens esset dicere: *Laudetur nomen Parentis* i. e. *Parentis &c.*) ut ostenderet se colendum esse ab Hominibus, non ut *Ipsis videretur*, sed prout in verbo suo *id injunxisset*, *nomenq; suum*; i. e. *Majestaticam suam gloriam manifestasset Ipse.*

§. 3. Quod attinet alterum compositionis terminum **המפורש**, ille, quod ex *analisi Grammatica* liquet, est participium usitatus passivum secundæ conjugationis pûal, unde si præscideris ה emphaticum & מ characteristicum participii, itemq; vau cholem vocalem, relinquitur ipsa radix, quæ est פֿרַשׁ & significat (1) *expandit, extendit* Job. 36, 30. &c. (2) *concidit, discidit*, Mich. III, 3, (3) *eruit*, curate quoad puncta minima consideravit, Es. 28, 29. Prov. 23, 32. (4) *separavit, exposuit, explicavit*, Lev. 24, 12. Ezech. 34, 12. &c. Ultimâ *analisi* sic obtenta resurgimus per γένεσθαι h. m. Vertendum mihi est: *Subtiliter expositum, diligenter explanatum, convenienter diductum*; ubi, cùm significatio sit ἐν Φασι-κῆ & intensiva, eligo participium passivum pûal, & ad analogiam מִפְקָר dicendum esset מִפְרַשׁ, cœterum, quia litera canina ר non potest ferre Dagesch, elevatur Kibbutz in cholem, ut inde resultet מִפּוֹרֵשׁ, huic si præfigas ה emphaticum per patach seq. Dag. f. habebis הַמְפּוֹרֵשׁ

§. 4. Ex combinatis his vocabulis emergit tandem שׁוּב הַמְפּוֹרֵשׁ, de cuius simplici significato ab antiquis intento immane quantum inter Auctores controvertitur; Sunt qui vertunt: *Nomen expositum*, & pronuntiatum per nomen אֲרָנִי, vel per XII. vel etiam per XLII, vel per LXXII alias literas, Ut *Raschi gloss. ad Es. 42, 8. f. 486.* Alii *nomen Dei perspicuū* eoq; *Creaturis incommunicabile* vertunt, ut *Maimonides*; Alii *Nomen separatum* à captu sc. humano, quia *essentiam Dei puram* exprimere creditur, quam *humani pectoris angustia* non capiunt; hinc *Münsterus* reddidit *Nomen mirabile*, quia *omne id ferè, quod miramur, ideò miramur, quia ratio agendi & causæ ejus à mente nostra separatæ sunt.* Sic *Chaldeus* quoque transtulit מִפְרַשׁ i. e. *separatum, sc. ex Münsteri opinione, à nostro captu.* Sed *Drusus* conjectat isthic loci pro מִפְרַשׁ legendum מִפּוֹרֵשׁ in Aphel, vocemq; פֿרַשׁוֹת notare etiam miracula, ut sit quasi *miraculosum Nomen*, interim *mox* fatetur hanc sibi seriò arridere interpretationem, quâ vertitur vulgò *Nomen expositum* (Gr. ὀνομαστικὸν ἢ ἐξηγητικὸν ὄνομα.) *Sixtinus Amama* curatius vertere amat per *Nomen suis propriis literis pronuntiatum, prolatum, nuncupatum, sic lectum ut scriptum*; quia פֿרַשׁ in Phael Chald. passim significet *proferre, pronuntiare &c.* ut hac nomenclaturâ distingvatur Schem hammephorasch

rasch à cognomine Adonai, per cuius ceu vicarii Nominis consonas vulgò id
exprimi dicit. Nos (salvo meliori iudicio) conijcimus non ineptè SHS. ex pri-
morum Ονομαστικῶν intentione dici posse Nomen περιφραστικόν, quod essentia-
le Dei Nomen יהוה reverentia causa circumloquitur, multisq; verborum involucris
includit & explicat, ad cuius mentis veritatem inclinât (1) originatio vocum (2)
Constitutio Rabbiorum (3) Consensus dictorum &c.


II. Quoad Progressum Historicum.

§. 1. Quod Tullii verbo dicitur: *Fama temerè non nascitur, quin subsit aliquid;*
idem non incongruè de nostro Schem hammephorasch effari licet, hujus enim fa-
bricæ ansam non levem *κατὰ τὸ συβερητικόν* dedit *Summum* illud atque tremen-
dum Dei Nomen יהוה, de quo hæc III. supponebant degeneres atque profani Ju-
dæi: I. Per nomen יהוה plenariam, absolutam & infinitam Dei essentiam notari
atque pronuntiari, quod Maimonides his verbis subindicat: *Magnitudo hujus No-
minis & cautio, ne quis illud legat, inde est, quia significat Dei exaltandi substantiam
sive essentiam ita, ut nulla Creatura communicet cum eo in ista significatione.* II.
Idem Nomen non sine peccato & blasphemia per proprias consonas efferi. Quod
Abba Schaul tr. Sanhedr. c. II. fol. 90. suppeditat, quando fulminat Eum non ha-
bere partem in futuro seculo, qui pronuntiaverit: *את השם באיוותיו*. In cuius
verba tanquam Dionysii spiritum forte juravit Job. Drusius, in Præter. ad Apoc. c.
XIX. p. 145. qui blasphemiam, imò observante B. Dn. D. Scherzero Peccatum in
Sp. S. committi clamitat, si nomen יהוה legatur, prout scribitur. Siqve hodie
Judæo magnam pecuniæ vim promittas, ut יהוה dicat, is sanè factum cum præ-
mio detrectabit; Quin & propriis literis id amplius exprimere abnuunt, & pro
יהוה scribunt יהוה vel יהוה; pro אלהים autem vel אלקים vel אלהים. III.
Huic Nomini יהוה inesse vim & efficaciam physicè producendi quoscunqve effectus
nature & naturâ impossibiles. Quæ hypothesis sigillatim ex Traditionibus Rab-
binicis, quas Dei verba esse & gravius circa Scribarum quàm Legis verba pecca-
ri nugantur, suppetit. Sic R. Akiba Characteres יג Schem hammephorasch pro-
cedere ait de throno gloriæ Dei. *Rabanat in Comm. Exod. XIV.* affirmat hoc
Symbolicum nomen constare ex characteribus supernè in fundamento Sapien-
tiæ spiritualis volantibus & valide operantibus. Hinc Exorciste alii per SHS.
tanquam amuletum, alii per Beelzebub *Σαυδωρα* olim præstare credebantur.

§. 2. Ex his postulatis sed frivolis sibi monstruosum SHS. effinxerunt Rabbini,
qui dum sceptro ablato dispersi nescirent, quo tempore, loco, modo & cultu tre-
mendum illud Nomen efferendum esset, tot errorum laqueis irretiti exorbita-
bant. Nam cum *prisci Deos dilecti* Judæi hoc nomen honorificè ex præscripto
Dei habuissent; successerunt *medii*, qui pro ingenio & indole istius seculi idem
cabbalisticè circuloquebantur, ne idiotarum captui pateret. Cū deniq; Simone Ju-
sto mortuo & Judaica *απολαγία* abolitâ Lux Evangelii reluxisset, jusserunt Ra-
bbini Recentiores loco perplexi SHS. simpliciter sub pœna anathematis legere pro
consonis יהוה consonas ארני aut אלהים, idque non sine devoto codicis oscu-
lo corporisqve gestu. Sic semel insanivimus omnes. III.

III. Quoad Judicium Syncriticum.

§. 1. Sed hæc postulatæ postulata sunt, quamvis enim in primo concedamus Nomen יהוה essentiam indicare, sicuti (1) radix Ebr. היה & Chald. הוה (fuit) affirmat testatur. (2) critica distinctio, quæ Nomina Divina dicuntur alia essentialia, ut: יהוה, יהוה, יהוה; alia accessoria, ut אלהים, אלהים, אלהים &c. Inde tamen non sequitur Nomen illud essentialia comprehendere nostroque conceptui sistere inenarrabile Numen, cum à confusa Nominis appellatione ad distinctam rei penetrationem NVC. De secundo postulato statuimus, quod Nomen יהוה cum propriis punctis (·) & (·) per Adonai, cum mutatis (·) & (·) per Elohim olim ἐκ τῆς ἐυλαβείας extra sanctuarium fuerit lectum, & hodie non quidem necessitate Metaphysica, sed ethica; nec ratione exigentia, sed expedientia sic legi debeat, quod probamus (1) Ex Scripturæ θεοπνευστων ordinatione, nam יהוה semper ita punctat sua præfixa & subsequencia raphata, ac si אדני esset, & componitur nunquam יהוה cum אדני absolute, nec יהוה, cum אלהים, ne lectio fieret ταυτολογία. (2) Ex antiquissimorum Scripturæ Interpretum tam Grecorum, quam Chaldeorum imitatione, qui יהוה nusquam expresse transtulerunt; illi enim τὸν κύριον aut θεόν, hi יהוה legunt. (3) Ex Christi atque Apostolorum observatione, qui loca V. T. in quibus יהוה allegaturi τὸν κύριον aut τὸν θεόν laudant e.g. Conf. Deut. VI, 16. cum Matth. c. IV, 7. It. Ps. XVI, 8. cum Act. II, 25. &c. (4) Ex Patrum primitivæ Ecclesiæ collatione, qui ἀναγχαζήματα illud vel per Dominum, vel per ipsum Adonai exprimunt. (5) Ex catholica Judæorum, quibus olim hæc lingua vernacula fuit, lectione. Testimonia vide apud Drusium, Sixt. Amama, Schikardum in Medit. sup. Ps. 25. & Lipsiense Decus Dn. D. Carpzovium in Diss. de Legitima יהוה lectione, sect. II, th. 7. (6) Ex omnium Christianorum per omnia secula ad Dionysium Carthusianum (A. C. 1492.) & Petr. Galatinum (A. C. 1518) usque consensu, hi enim sunt, qui nomen יהוה omnium primò latinis literis exciperunt. Quod vero Schemhamphoriste hinc suam superstitionem corroborant, gratis fit; quia à silentio metuende vilitatis ad silentium diviniore sanctitatis; à Religione ad superstitionem; ab ἀνεκφωσία in tantum, ad ἀνεκφωσία in totum N. V. C. Et si cum Nomine JESU idem ageres, non tam temere: J. Hr. Jesus! Jesus Christus Gottes Sohn &c. eructares; prohibemur enim Nomen Domini sumere יהוה i. e. frustra, mit Abscheu. Sic & in sacris murmurare interdictum est I. Cor. XIV, 9. In tertio postulato fatemur quidem Gentiles, Pontificios atque Veneficos Judæis esse ὁμοψήφους, sed quia Natura, Sensus & Experientia comprobent quantitatem & meris mortuisque literis nullam inesse efficaciam, putaverim banc hypothesin III. suam vanitate coincidere. Nam ridicule supponunt Rabbini: Si quis horum LXXII. Angelorum vim atque efficaciam noverit, is in Creatorem & Creaturam omnia poterit; Similiter & ego postulo: Si quis habet Gallinam, quæ porugalica ova excludat, ovem, quæ auream lanam ferat, is omnium ditissimus erit; Si quis dederit mihi locum extra terram, ipsam terram movebo, cum tamen conditio de impossibili eclipsin judicii arguat. Postremò Sit Nomen Domini Benedictum!



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

